

50. Alte M.

(Rheginus, Verb.) in noch
in fohrschreibe

K. VIII. 93

M

ORATIO

DE DICTO CHRISTI

Lucae 22 Ego pro
te orauī
& ce.

**Carmen Iohannis Stichelij
de Teucris.**

**Impressum Vuitenbergæ
apud Iosephum
Klug. Anno
1549.**

C
e
a
c



ORATIO
DE DICTO CHRISTI
Iuxta Ego pro
et oratione
et c.

Carmen Johannis Sticksell
de Tencis

Impræssum Vindoburgæ
apud Josephum
Klug. Anno
1749.

LVCÆ 122. EGO PRO TE
orauī ne deficiat fides tua. Et tu
conuersus, confirma
fratres tuos.



S I INGENS
Dei beneficium
est, quod genus
humanum & hoc
domicilium gene-
ris humani, uide-
licet hanc pulcher-
rimam machinam
coeli & terræ, &
elementorum, ar-
te dispositam, & optimo ordine distri-
butam, condidit, tamen multo maius be-
neficium est, quod ex arcana sede sua
prodiens patefecit se generi humano, &
illustribus testimonijs tradidit certam
doctrinam & promissionem quæ & re-
geret mentes & consolationem effica-
cem ostenderet in summis calamitati-
bus, imo quæ esset testimoniū præsentie
Dei inter nos qui hac ipsa uoce nos sibi
copulatos seruat, defendit, & ab æternis
A ij miserijs

miserijs liberat. Hoc ingens benefici-
um assidue considerandum est, & ad
hanc præcipuam consolationem in om-
nibus miserijs confugiendum est.

Cum igitur nunc & præsentis
ærumnæ multæ duriter premant Eccle-
siam, & in conspectu sint alia uentura pe-
ricula, & res ostendat presidia & consi-
lia humana non posse nobis opitulari,
faciamus illud quod Rex Iosaphat in-
quit, domine cum nescimus quid agen-
dum sit, oculos nostros ad te attollimus,
te intuemur, a te auxiliū petimus. Itaq;
audiamus uocem Dei, monstrantem ue-
ras consolationes, & nos cogitatione præ-
sentis & auxiliij Dei erigamus & confir-
memus.

Scitis autem hos nostros congres-
sus institutos esse, propter has tres cau-
sas, ut fiat inquisitio de doctrina, & de
gubernatione Ecclesiarum, deinde ut
& commonefactione excitetur diligen-
tia, & in aliquibus consolatione lenias-
tur dolor, Postremo ut gemitus & uo-
ta

ta coniungamus in publica præcatione,
& petamus, ut Deus seruet Ecclesiam &
pœnas mitiget.

Vt igitur & mihi ipsi & alijs consolationem & commonefactionem proponam, delegi dictum filij Dei in quo ante Agonem Petro commemorat periculum, & deinde consolationem & præceptum addit, inquit. Simon Simon ecce Satanas depoposcit uos, ut cribra-
ret uos tanquam frumentum. Ego autem pro te orauit ne deficiat fides tua. Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.

Sepe hæc narratio cogitanda est, quia res multas & magnas continet, primū recitatur periculi magnitudo, quod quale & quantum sit mentes ebriæ fiducia suæ sapientiæ, aut lasciuientes uoluptatibus, nequaquæ considerant, sibi igitur indulgent, querunt opes & uoluptates ardent ambitione, aut ludunt opinionibus & negligunt doctrinam a Deo traditam. Talia pectora diabolo cum pateant,

A iij teant,

teant, sequuntur infinitæ confusiones in
uita, quia alij spargunt Prophanas opi-
niones, alij munus docendi Euangelij
prorsus negligunt. Ita paulatim & dis-
trahuntur Ecclesiæ, & crescunt tenebræ,
& multa tetra uicia,

Monet igitur nos filius Dei de insidijs
diaboli, ac uult nos uigilantes esse, & be-
ne munire pectora lectione & medita-
tione doctrinæ, ardere in inuocatione,
& repellere illecebras diaboli, quod cum
facimus, adiuuat nos conantes filius dei,
orat æternum patrem, ut seruet Ecclesiæ
reliquias, depellit diabolos, & spiritu suo
sancto nostras mentes, consilia, & actio-
nes gubernat.

Cum autem pericula nostra
nunc non sint obscura, existimo multos
inter uos cogitatione eorum ualde ex-
cruciari. Videtis enim passim Eccle-
sijs inferri corruptelas doctrinæ, uagari
pios pastores exulantes cum miseris &
agris uxoribus & paruis liberis, sine ui-
atico,

atico, sine hospitij. Alicubi capti ex-
pectant ultima supplicia.

In his tantis miserijs cum præsi-
dia humana aut nulla, aut infirma sint,
qua nos consolatione sustentare possu-
mus? Hic sciamus, non casu, non
humanis tantum consilijs Ecclesiam col-
lectam esse, sed Deum uere patefactum
esse generi humano, & illustria testi-
monia patefactionis ostendisse, resusci-
tationem mortuorum & alia miracula,
ac certo promisisse sibi hunc cœtum,
qui Euangelij custos est, semper curæ
futurum esse, & quidem semper; se ta-
lem aliquem cœtum in genere humano
seruaturum esse, se ducem & protecto-
rem fore familiarum nostrarum in nos-
tris exilijs, se monstraturum esse hospi-
tia, se post hanc uitam traductu-
rum esse nos ad dulcissimam æter-
ni Patris & Ecclesiæ cœlestis consue-
tudinem, ac uerba promissionū infigere

A iij animis.

a nimis. Sic enim inquit Deus Esaiaë
quadragesimo sexto. Ego uos etiam
senescentes gestabo, ego feci, ego feram,
ego portabo. Item. Iacta curam tuam
in Deum & ipse te enutriet. Et fili-
us Dei inquit, oēs capilli capitis uestri
numerati sunt, Item. Ero uobiscum
usq; ad consumationem seculi. Item. Si
quis diligit me, sermonem meum serua-
bit, & pater meus diliget eum, & uenie-
mus ad eum & mansionem apud eum
faciemus.

Et si autem homines Epicurei has
consolationes derident, & inanes uerbo-
rum sonos esse iudicant, tamen luceat in
nobis fides, nostra constantia declare-
mus nos re uera Deo credere, & ab ipso
petere & expectare auxilium. Si ad fir-
mam serio, non commenticiam, non
fabulosam esse doctrinam ecclesiæ, statu-
amus etiam has promissiones ueras &
ratas esse, Accendatur in nobis aliqua
fidei scintilla, petamus & expectemus a
Deo auxilium, & hac spe simus in con-
fessione ueritatis firmi, & si quid erit pa-
tiendum

tiendum, non frangamur animis, non irascamur Deo & Euangelio, non superemur dolore, sed sustentemus nos cogitatione presentiae Dei.

Hæc est propria Ecclesiae militia, in qua & discit, quid sit fides, & cultus Deo gratos & λογικὴν λατρείην prestat. Vocat enim Deus Ecclesiam ex confusissima multitudine generis humani, & uocat non ad ludos, & ad delicias, sed ut in magnis certaminibus de iudicio & uoluntate Dei, & de mediatore domino nostro Iesu Christo testimonium coram uniuerso genere humano dicat.

Huic testificationi diabolus qui odit Deum, horribiliter aduersatur, quare ut initio prædictum est, seueritiam in Ecclesiam exercet, & calcaneos nostros mordet, ac impellit sua organa ut delere ueram Ecclesiam conentur. Itaque alij alias ærumnas sustinent, subeunda sunt odia, tolerandæ contumeliæ, ferendæ miseriæ exiliorum, & suplicia.

A v

Sed

Sed hic imbecillitas nostra gemens, & fugitans hæc mala, queritur tanto onerari non esse pares nostras vires. Hæc querela & uera & laudanda est. Nam agnoscere imbecillitatem pium & utile est, ut quæramus opitulatorem. Hic audi filium Dei qui utrumque adfirmat, sese pro nobis deprecatores esse, & sese nobis adfuturum esse in his ærumnis. Non relinquam uos orphanos, inquit. Et Paulus ait. Responsum mortis in nobis habuimus ne fiducia nostri extolamur, sed confidamus in Deo, exuscitante nos ex morte, qui & ex tanta morte nunc nos eripuit, & erepturus est. Et aliquanto post inquit Deo gratia, qui semper triumphat in nobis per filium.

Ideo Ecclesia sustinet onera maiora uiribus, ideo desunt humana præsidia, ut conspiciatur presentia Dei. Non solus uagaris in exilio, sed antecedit filius Dei, & cinctus es casto agmine angelorum. Erit metator & ipse filius Dei, & ostendet hospitium. Hæc uera esse fides statuit, & quorum animi hanc

hanc consolationem non admittunt, in
his non accensam esse fidei lucem, eo of-
tendunt, quia promissiones diuinas ex-
istimant inanes sonos esse.

Nos uero etsi sumus languidi
& imbecilles, tamen erigamus nos uoce
Dei, & adscitiri conemur, & sciamus
hunc conatum a Deo adiuuari, sicut ille
in historia Euangelica inquit, credo do-
mine, sed opem feras diffidentiae meae.

Postquam autem de consolatione
dixi, uenio ad alteram partem uidelicet
ad hoc dictum. **Etiam conuersus,**
confirma fratres tuos. **Hac uox**
praecipit omnibus ac praecipue guberna-
toribus, ut & docendo, & consolando
pios labascentes aut trepidantes
erudiant & confirmant. **Multi**
omnibus temporibus decepti sunt,
quia errores fucosa specie ornati non
possunt ab omnibus agnosci.

Quare

Quare eruditiores prudenter & recte dijudicent controuersias, detergant fucos, proponant nudam ueritatem, nō alant studia factionum, non querant plausus sui theatri, Sed curent extare & conspici res ueras, ut gloria Dei celebretur, & Deus uera inuocatione colatur, nec abducantur mentes a uero Deo.

Talis explicatio rerum & necessaria est, & difficilis, & periculosa, sed docti, sciant se hoc officium Deo debere. Hi meminerint has seuerissimas conciones. Qui confessus fuerit me, coram hominibus, confitebor eum & ego coram patre cœlesti, Item Qui non colligit mecum, dispergit. Item. Labia sacerdotis custodiant scientiam. Item. Maledictus qui facit opus domini fraudulenter, hoc est qui aut sciens cedit hostibus Euangelij, imbecillitate animi, aut qui ipse Sophismatum præstigijs inuoluit ueritatem, & confirmat errores.

Quare in docendo & in discendo
simus diligentiores, nec sinamus induci
caliginem

caliginem ueritati nunc in Ecclesijs lu-
centi. Sed cum res sint difficiles, adhi-
beatur etiam cura ut & ipsi eas recte dis-
camus, & alijs dextre & proprie expli-
cemus.

Aliqui indocti stolide uoci feran-
tur de rebus non intellectis, nec uerita-
tem & gloriam Dei illustrare student,
sed stultis uulgi adfectibus adsentantur,
dicunt conuicia in magistratus. Hoc
modo nec erudiuntur, nec confirman-
tur boni, sed irritantur uoluntates po-
tentum, quod non est utile. Vincant in-
docendo, non conuicia, non nostræ tra-
gediæ, aut Satyræ, sed autoritas diuina,
uox Dei, & ipsa ueritatis perspicuitas.
Certe qui non uult cedere autoritati di-
uinæ, nunquam cedit ineptis conuicijs,
quæ homines sani & prudentes, etiam
cum uere dicuntur tamen non sine dolo-
re audiunt. Amemus utramque uirtutē,
ueritatem & modestiam, doctrinam or-
nemus grauitate & modestia.

Plerumque etiam fit, ut indocti prop-
terea

terea quia res defunt, pro argumentis
conuicia cumulent, & hac ipsa uocife-
ratione suam inscitiam traducant, &
causę noceant apud eos qui argumenta
postulant. Sciunt prudentes non
semere, non sine perspicuis testimonijs
diuinis recipiendum esse dogma ul-
lum, quia Deo reddenda est ratio de
adprobatione & reiectione dogmatum.
Sciunt & hoc. Qui cito credit, leuis
est corde. Ideo fundamenta uera
& diuina testimonia prudens auditor
flagitat.

Extruantur ergo conciones ex
ueris fundamentis, sint argumēta adeo
perspicua, ut conuinci animos intelli-
gant omnes sani & sine calumnijs iudi-
cantes. Deinde cum de doctrina
confirmate sunt mentes, addatur
consolatio, quia etiam recte eruditi
tamen sepe in confessione sunt trepi-
di, metuunt uel sibi uel suis familijs
uel amicis, uel metuunt maiores con-
fusions publicas, uel nolunt uideri ni-
mis

mis morosi, duri, hostes concordiae &
pacis, denique multa argumenta huma-
na debilitant animos. Hic etiam
magnitudo bonitatis diuinæ confidere-
tur.

Promisit æternus pater sc ex pec-
tore suo effusurum esse spiritum sanc-
tum in nos, ut & lucem ueritatis in men-
tibus accendat, & cordi robur addat, &
exuscitet impetus, ut testificari de ueri-
tate fortiter ausint, nec deterreantur
minis aut metu, imo nec decipiantur
blanditijs potentum, nec capiantur
laqueis Sophismatum, pugnat enim
Diabolus uarijs modis, astutia, blan-
ditijs, terroribus. Nec aut doli-
tantum humana sapientia depræhen-
di & uitari, aut ruinæ humana for-
titudine contemni possunt, sed Deus
addidit nobis doctorem, & confirma-
torem spiritum, ex suo pectore effusum.
Quid autē maius & melius dare potest
Deus, quam quod & filium nobis dona-
uit

ult, & societatem suæ nature, cum in cor
da nostra spiritum sanctum effudit, quæ
quidem effundi in uos si modo petitis,
nullo modo dubitate. Sic enim scrip-
tum est, Quanto magis dabit pater cœ-

lestis spiritum sanctum petentibus.

Hac consolatione nos ipsi nunc
quoque confirmemus nos, & petamus &
expectemus gubernationem, defensionem,
auxilium in his nostris periculis.

Te igitur fili Dei domine Iesu Chri-
ste oramus supplices, ut cum professus
sis, te præcatum esse & precari pro Eccle-
sia tua, deprecator sis & pro nobis qui
cum Euangelium tuum reuerenter au-
diamus & fide amplectamur, certe sum-
mus Ecclesiæ tuæ membra, & non relin-
quas nos orphanos, sed erudias, regas,
defendas, & confirmes nos. Colligas eti-
am tibi Ecclesiam in his regionibus, &
serues eam, ut te celebret uera pietate,
gratitudine & læticia in p̄mni æternita-
te.

Dixi 1548.

In

IN VRBE FRANCOFORDIA
ad Menum pictura est uirginis contex-
entis fertum ex floribus, quibus Ger-
manicum nomen est, Je lenger ie lieber,
& addita est inscriptio uenustissima, sen-
tentiam grauisimam continens, allu-
dens ad nomen herbæ.

Je lenger ie lieber ich bin allein,
Denn trew vnd warheit ist worden
(klein.

Monet uitari turbam, & sodalitia, &
proprio quencq; muneri seruire. No-
men herbæ nunc usitatum est Ama-
rum dulce, Græcis ueteribus est Teu-
crion, aut certe cognatum quiddam
est. Nos hoc nomen retinui-
mus propter Teucris histori-
am. De hac Francofor-
diana pictura hanc
lege Stige.
Ij Ele-
giam.

B

Capta

Capta domum rediens fortis post Pergama Teu-
(cer,

Non qualem optarat repperit esse patrem,
Nam, quia fratre redis, te non ultore, relicto.
Me quoq; te nato posse carere scias,
Quin age fraternas aut mox comitaberis umbras,
Aut cupies celeri rursus abire gradu,
Dixerat hæc genitor gemit alto ex pectore Teucer,
Mox tamen ad socios talia uerba facit,
Offensus pater est, pater est qui pessima nato,
Qui tamen haud merui pessima, fata cupit,
Ergo uale nostræ nutrix Salamina iuuentæ,
Quam patrem offendam rectius exul ero.
Fata uiam ostendent, forti omnis patria tellus:
Sic ait, & medio uela dat alta freto.
Venerat ad ueteris Cythereia littora Cypri,
Ut placuit tellus, hic habitemus ait.
Condidit hic urbem patriæ de nomine dictam,
Qua tereret uitæ tædiæ longa suæ.
Temporis accessu præcordia frigida mæror
Rodit, & e salsa pectora bile dolent:
Forte parat sacrum, positisque sub arbore Diuis
Per uirides herbas exta cremanda locat.
Mira loquor, splenem medijs ut tangit in extis
Herba noua, arcana sed ratione potens,

Protinus

Protinus a tactum uideas tabescere, namq;
Deficit, admota ceu rosa uerna manu.
Splene dolens Teucro, lateri mox adplicat herbam,
Nec more presentem sentit ut optat, opem,
Tum uero, quoniam prodes hac parte dolenti
Teucrion a Teucro nomen habebis, ait.
Tempora quid faciunt γλυκυπικρον nomine di-

(cunt

Nunc quibus hanc Graia uoce uocare libet.
Nomina ridebis, paulo post carius illam
More suo, at pulehre Teutona lingua uocat,
Huc, quicquid fuit, solers allusit Apelles,
Hæc cuius picta est suavis imago manu,
Ecce procul turbam fugiens uirguncula, sola
Dum sedet, ex ipsa Teucrude sarta facit.
Quod si consilij causam quis scire laborat,
Hoc uice responsi symbolon esse potest.
Quo diuturna magis, mihi carior omnis Eremus,
Exulat a uulgo cum probitate fides:
Qui sapis hinc uitæ præcepta salubria discas,
Certus in hoc uitæ, carmine gnomon erit.
Viue tibi, stolidæq; caue commerica turba
Consultum uitæ si cupis esse tuæ.
Nil facias, fieri nisi quod debebat honeste,
Sitq; tuæ uitæ regula certa Deus.

A ij

Nec

Nec famæ cupidum rebus te ingresseris ullis,
Ni sinat officij causa probanda tui,
Congressus caueas, nisi cum tua functio poscit,
illi autem placidi sint simul atq; breues.
Quos potes officijs orna, nec commoda spectata,
Pro meritis reddi gratia rara solet.
Præcipue caueas ulli nimis esse sodalis.
Hic latet in uiridi frigidus anguis humo.
Non ego te iubeam cædem uitare minantes,
Quos tibi coniunctos spes erat esse, caue,
Dulce quidem certe est, & amici nobile nomen,
Sepe sed huic etiam crimen inesse solet.
Limina præcipue fuge suspiciosa potentum,
Crede mihi hic fuco gratia rara caret.
Cautus ut euitat blandas Sirenas Vlysses,
Illecebris aulæ ne capiare caue.
Hæc uitæ ratio morbosis libera curis
Est homini in primis commoda, grata Deo,
Hæc addit nostris cœlestes mentibus alas
Ut certa ascendant ad bona uera uia,


Iohannes Stigelius.



e
a
c







S
A
a
c
n

d

n
e
b
p
D

a
c



K. V. 154656

154656

AB 154 656


ULB Halle

3

002 802 910




5A



15





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



ORATIO
DE DICTO CHRISTI
Lucæ 22 Ego pro
te oraui
& ce.

**Carmen Iohannis Stichelij
de Teucro.**

**Impressum Vuitenbergæ
apud Iosephum
Klug. Anno
1549.**

